JOAN. CASELII

Ad generosum adolescentem

JACOBUM Schenck / in Flechtingen /

ΠΑΡΑΙΝΕΣΙΣ.

ACCESSERUNT HUIC ITERATÆ EDITIONI LOcorum auctarii, ejusdem Caselii

EIPHNH:

ET V. ILLUST.

JOSEPHI SCALIGERI JAMBI ALIQUOT GNOMICI, NUNQUAM ANTEHAC EDITI.

AMBERGÆ,
Typis Schönfeldianis.

ANNO clɔ Iɔ c VI.

S

NOB. ADOLESCENTI

JACOBO KOTZ

CONVICT. DILECT.

CUNRADUS RITTERS.

HUSIUS JC. S. D.

UM ante menſes pluſculos hinc Argentinam abirent, Conſobrinus tuus & ὁμώνυμος Jacobus Schenck/ejusq; ſtudiorũ moderator fideliſs. Ludolphus Fabricius, in Galliam indè porrò cogitãtes, quò jam eos perrexiſſe audivimus: conveniebat inter nos de illa Paræneſi, quam eruditiſsimè, graviſsimè, benevolentiſsiméque venerandus & optimus Senex ad

ipſum ſcripſiſſet, in his regionibus iterum edenda, quò nimirum pluribus legendi copia fieret, ejúsque fructus latiùs diffunderentur. Id negotium, & tunc in digreſſu mihi dabatur, ut procurarem, & nunc nuper in litteris renovatũ eſt mandatum. Exſequor ergò tandẽ, non nolente, ut opinor, imò uti cõfido annuente etiam auctore hujus ſcripti: quando ille id ſemel nõ ſolùm tui Conſobrini, ſed & publici juris eſſe voluit, nobisq;, quod plurimis argumentis compertum habemus, ex animo favet ac factum velle ſolet. Te autem hîc paucis affari libuit, mi Jacobe, teq; hortari, ut non modò ΠΑΡΑΙΝΕΣΙΝ, quam ad te quoque pertinere putabis, ſicut ad omnes tui ordinis, imò etiam alios pertinet, in ſtudiis, tanquam cyno-

ſuram

ſuram nautę ſolent, ſequare: verùm
etiam exemplum laudatiſs. Conſo-
brini tui ꝓponas tibi ad imitandũ,
vel etiam hunc ſuperare contendas. Facerem hoc pro mea erga te benevolẽtia pluribus, ſi aut pagellæ hujus anguſtia pateretur, aut careres tàm bono ac fideli ſtudiorum duce. nam quod Conſobrino tuo Ludolphus Fabricius, hoc tibi eſt Joan. Angelius Werdenhagen: de quorum fide atq; induſtria meritò vobis gratulamur; & vos rectiſsimè facitis, qui ipſis recta monentibus animos dociles ac ſequaces adhibetis. Mantiſſæ vicem adjeci ad hanc renovatã ΠΑΡΑΙΝΕΣΙΝ, Jambos aliquot ſentẽtioſos ſummi Viri Scaligeri, quos mecum aliquando liberaliter communicabat noſter amiciſsimus Helias Pütſchius,

Ὁ ΜΑΚΑΡΙΤΗΣ. Ego tibi & aliis porrò donatum eo, ne apud me solum paucósve alios tàm pretiosæ gemmæ diutius delitescant. Sed plures id genus spero nos debituros harum auctori: quo non invito istas velut in antecessum damus, atq; ád gustum, invitãdi causa emptoris. Δίκαιον. ἡ γὰρ γεῦμα τὴν ὠνὴν καλεῖ, ut ait Euripideus Silenus. Cetera ipse Scaliger. Tu Jacobe Nobilissime, his interim fruere, & Vale feliciter. Altorfii. Die S. Jacobi Apostoli, Anno M D C V I.

Ad ge-

Ad generosum Adolescentem.

JACOBUM Schenck/

in Flechtingen.

SAlve SCHENCKIADUM *gentis* JACOBE
sacer flos:
Nameq; mihi libet hoc potiùs te nòmine pulcro
Affari: quòd erit tibi non levi ominis instar.
Divitiis quod enim flores & gente vetusta,
Esto aliis primum: neq; nos ea magna negamus.
O miseri, quibus ex humili prorepere turba
Vix datur! ô iterum miseri, quos dura per ævum,
Quîs opus in vita est, urgendo vexat egestas!
Nec minùs adspicias per celsa palatia regum
Ipsos heroum genitos de sanguine claro,
In Tyriis chlamydsin nitidos, sceptriq; superbos.
Quorum oculos retrò fugiens ans penuria vitat:
Quem tamen illorum quis dixerit esse beatum?
Ni pectus vitiis & labe emundet ab omni:
Et superûm in terris condiscat degere vitam,
Ac populos dira contra vim quamlibet Ates,
Justitiâ tueatur, & omnigenis benefactis.
Usq; adeò non sunt tanti, quæ vulgus aberrans
Judicio; verâ sine causâ tollit olympo,
Ni tenera bona prima, queant quibus altera niti.
Hæc te diva cohors, horumq; simillima, Deli,
Principio docuêre, etiam majora docebunt.
Quocirca procul à populi ratione recedens,

Nec genus ostentas, nec vitam ponis in auro:
Sed bona fortunæ nativos vertis in usus,
Vestigans sacra prima, bonorum mentis avarus.
At tibi vix vitam ingresso sit cautio, ne te
Tramite de recto silvarum in devia quidquam
Auferat, ut fieri vestrûm plærisq; videmus.
Tu quoq; ne pereas rerum discrimine tali,
Pervigila, toties tibi decantata revolvens:
Donec tuta ratem felix ad litora vertas.
Nam neq; me toties eadem perscribere tædet
Tam bona, quæ cunctis fuerint servata saluti.

IN VENERE ET VINO QUI SUNT, QUI GRANDIA SPIRANT,
HOS DESPERATO CREDE IN GREGE SEMPER
IN VENERE ET VINO DUM SUNT, DUM GRANDIA SPIRANT.
COMPOSITÆ NEC ENIM VALEANT SE DEDERE
NEDUM SERVILES ANIMOS ATTOLLERE COELO:
NI VENEREM ET VINUM SIMUL EXECRENTUR, ET ALTOS
SPIRITUUM FLUCTUS FRANGANT MODERAMINE MENTIS.

Et quia te novit vitaq; animóq; modesto
Julias alma, sagax claræ indolis exploratrix,
Deinceps in casto gremio te sponte foveret:
Attamen illustri Philyræ non invidet Elmus.
Reddet enim Sophiæ præclaris dotibus auctum
Et patriæ & nobis aliquando flavus Elister.

Id. Febr.

Ἰωάννης Καστήλιος.

JACO-

JACOBO Schenck,

S. D.

JOAN. CASELIUS.

QUM ex quo tempore hanc vitam academicã colui, quæ ferè est ætas hominis, liberaliter in literis educatorum adolescentum alii ab amicis ad me venirent, alii se ultro referrent in consuetudinem meam: dedi semper operam, ut, quod fidei & humanitatis meæ erat, studia mea, in quibus aliquid valerem, sibi parata, æquè omnes intelligerẽt. Omnium autem primum hoc esse judicabam: ut de quibus erudiri monerique aut ipsi vellent, aut ipsis expediret, in iis curam laborémque meum familiarium nemo desideraret. In hoc igitur officio perseverans, ita olim processi: ut quæ coràm attigissem in sermone, de iis quæ viderẽtur, ꝑterea vel consignatione aliqua, vel per epistolã unî atq; alteri exponerem, id ego feci, initiò monitus, & aliquandò rogatus: sed sæpius postea ultro. Cur

enim iis ulla re deeſſem, quibus adjumẽ-
to eſſe me poſſe confiderem, & facturum
pro facilitate mea recepiſſem? In hoc
inſtituto retardarũt me aliquot jam an-
nis privatæ ærumnæ haud leves, aliæ ex
aliis: nec ipſæ tamen tantum valuêre,
ut id, pluribus utile, quibusdam neceſ-
ſarium, mihi autem honeſtum conſiliũ
penitus abjicerem. Namq; etiam meo
iſto parũ felici tempore neq; nulla ſcri-
pſi, & de aliis ſcribendis, in primis qui-
dem ad te, dum hoſpes meus es, ſæpe co-
gitavi. Vix domum meam veneras, JA-
COBE; cùm ipſe indole tua perſpecta,
ſed & alii, viri docti & fide præſtantes,
amici noſtri, tecum de litteris & vitæ of-
ficiis ſermones, ut tempus ferebat, inſti-
tuimus. Ab hiſce ſermonibus cùm te
minimè abhorrere animadverterem, a-
jebam me ſcripturũ ad te, quæ nõ absq;
tua utilitate legeres. Nonnulla enim
addiſceres, in aliis confirmarêre: neque
hoc improbat ingenii tui formator, qui
maximè hoc agebat, & agit item hodie,
ut doctior evadas; & melior. Ex hoc pr-
miſſo non exſolvi me triennio: nunc id

ago,

ago, ut nc in abeuntis ære hærcã diutius. Moræ mihi fuit cauſa, q̃ dixi initio: ſed nec accclerato opus erat, cùm quotidianis ſermonibus quaſi debiti illius fœnus penderem. Nunc igitur mc audies in epiſtola: quam leges quidem tu modò, ſed teleges etiam diligenter, quoties voles. Nec enim ejus lectionẽ tibi gravem arbitraberis: utilẽ eſſe velim, & futuram ſpero; jucundam, non dubito. Adſpergam enim nonnulla, è quibus generoſa indoles voluptatem facilè capiat. Conſiderabo autem initio tecum res ſecundas, & adverſas tuas: ut ex utriusq; generis comparatione te inter cæteros mortales nõ prorſus infelicem, imò ſexcentis feliciorẽ eſſe intelligas: & ea tibi porrò bona comparare ne dubites, quibus quæ dura & moleſta nobis eveniunt, ſive declinare, ſive æquiore animo ferre valeamus; felicitatem autem, ſi qua ſit, ſartam tectam conſervemus, nec non præterea bonis rationibus augeamus. Illud enim nos facere naturæ leges jubent: hoc cuiq; noſtrûm per easdem licet: nec ſolùm ſingulis expedit, ſed etiam ſaluti

eſt

est patriæ,& ex usu pluribus mortalium. Quæ enim bona quisque possidet, iis unusquisq;tum frui potest,tum alios sublevare, ac præcipuè rempublicã adjuvare debet. Prima autem tibi fuit, eaque insignis calamitas; quam tu tamen pertenellam ætatem sensu accipere nõ potuisti: quòd parentibus ita subitò,matre infans,patre puer admodum orbatus es. Sed obvenêre tibi plura, quæ in felicitate nõ falsò ponimus: quòd ad virtutem, quæ bonorum humanorum familiam ducit, mirificè faciunt. Qui namq; adminicula illa in principio in promtu nõ habet; Deum immortalem, quanto labore & sudore, quot annorum spatio illi ad virtutem & virtutis præmia contẽdenti opus est? fit tamen etiam sępenumero, ut illam adeptus, hisce nihilominus excidat. Tu autẽ natus familia veteri & pernobili,hereditatem filius unicus habes amplissimam. Genus te ad virtutem & gloriam haud inanem excitare potest: divitiæ vel proventuum tuorum particula educationi tuę servit: illæque porrò tibi instrumenta erunt primarum

virtutum, & cumprimis omnium principis, & inter mortales optatissimæ & gratissimæ, beneficentię. Ponere autẽ te velim in majore felicitate: quòd tibi, ingenio ad optima nato, statim rectissimè consultũ voluerunt agnati, cętercíq; tutores tui, viri boni & fide præstantes. Præter enim quàm, quòd te ad sumi Numinis reverẽtiam, & mores nobili puero dignos educabant: litteris quoq; imbuendum censuerunt, &, si sequerêre, q, sperabant, studiis sapientię destinârunt. Plus millies audîsti, qd de sapientia & de fortunæ bonis sapientes sentiant, quãq; imane intervallũ inter ea uno ore determînent: imò ita hodie ipsemet judicas, inferiora esse cætera humana omnia, quãtacunq; sunt; nec auri montiũ, nec mundi imperiorum contentionem institui posse cum animi bonis: quæ est, una veraq; appellatione, Sapientia. Divini istius consilii auctores non minùs propter prudentiam, quàm propter benevolentiam nemo non prædicet, quos tu omni ita promeritos pietate colis: intelligis nimirum, qui illud omni fide &

tanta cura agant, non minùs honorandos esse, quàm parentes, vel etiam magis, si fieri possit: quando quod hi natura, quæ aliquam nobis necessitatem imponit, faciunt; id illi bonitate naturæ & consilio præstant. Quod autem neque hodie ulla de re quidquam statuis, nisi ipsis consultis & annuentibus, magnum tuæ erga eos pietatis argumentum est. Iis autem tu, cùm in omnibus aliis facilè te probasti, primùm abiens ab infantia, tum in hoc, quod illi ætatulæ difficulter persuadetur, ut elementa litterarum & cupidè & brevi disceres: id simul erat certum ingenii tui præstantię signum. Ingenio autem adsociatur pulcerrimè obedientia. Profectus porrò φιλομάθειαν in animo tuo auxit potiùs, quàm peperit. Quem enim neq; naturæ vis agat, neque ejusdem bonitas demulceat, in doctrinę studio, ut optabili, ita arduo prę aliis, cùm lentè, tum parùm etiam proficiat. Neq; verò non te simul exemplum patris & avi excitabat, qui tibi populari sermone scriptos libros plures reliquerunt, in quorum lectione adsiduos

ex iis,

fuiſſe, & cumprimis hiſtoria delectatos, ex iis, quæ noranda ſibi paſſim præ cęteris putaverant, etiámnum adparet. Nō igitur ex iis nullos puer admodum legebas, antè etiã quàm latinè intelligeres. Uſq; adeò refert filios & noſſe & intelligere, quid boni parentes geſſerint. Ut enim patres ſui eſſe ſimiles filios plærumque volunt, & ad ſe reſpicere, & ſe imitari jubent: ita ut plurimum nihil malint, quàm eſſe patrum ſimiles ipſi filii. Fit hoc non ſolùm in doctrinæ & militię ſtudiis, quę prima meritò habẽtur, quòd maximè ad conſervãdam hominum ſocietatem neceſſaria ſunt: ſed in artibus etiam, quas inferiores colunt, & in opificiis, quibus occupatur vulgus. Rarò namq; adſcendũt altiùs: rectè manẽt in primis, quorũ patres prima illa vel ſeriò tractarunt, vel in precio habuerũt: cum dedecore ab iis ad inferiora & viliora prolabuntur. Tibi verò hoc litterariç diſciplinç primũ tirocinium multis modis profuiſſe judico. Hiſtorias enim didiciſti alias atq; alias. idq; eâ ętate, quâ quę videmus, quę audimus, quę legim⁹,

quę

quę agimus, nullo unquam nobis tempore excidunt: memoriâ tenes pręstantium militię ducum non ſolùm facta, ſed etiam conſilia, & ipſa pœnè verba: quę quid aliud ſunt, quàm pręcepta imperatoria? neq; refert, etiamſi eorũ vim neque dum intelligas: intelliges adultior, cum laude tua in uſus publicos aliquando transferes. Cùm ęquales tui de more totos dies in ludis puerilibus discurrerent, tu tranquillior multum temporis huic ludo dabas: quod nemo non ſtudium diceret, pigri moleſtiam ducerẽt: atq; ita ſimul imbibiſti deſiderium litterarum, & amorem non unius alteriúsve partium ſapientię, ſed univerſę. Non enim magni ęſtimabit umbram vitę, q̃ umbram liberalis educationis expertes ſectantur, qui veræ vitę rationes in ſapientia poſitas ſemel rectè deguſtarit. Cęterùm ut multi per patrimonii tenuitatem vix ſe attollunt humo: ita alii quamvis ingenio pręditi, nec rei penuria laborantes, honeſto conatu fruſtrãtur, quòd duces ad optima, ſive magiſtros, aut nõ in tempore, aut non idoneos nanciſcũtur.

tur. neq; nulli permutatione crebra docentium animis perturbati, vel ad ſperatam frugem nõ perveniunt, vel penitus deſciſcunt ab inſtituto. In hoc tuam quoq; felicitatem agnoſcas velim, quò magis intelligas, quantum debeas illis præſtantibus viris: qui cùm animadverterent, te ad ſumma quæq; contendere, idq; per hanc non multis tritam ſemitã ſapientiæ: cumq; tu, quæ hoc in genere pueris ſeduló diſcenda ſunt, magna ex parte maturè percepiſſe videreris, majorem in ea re adhibuêre diligentiam, quàm pleriq; patres ſolent. Vetus enim intelligentium querela eſt, de negligentia patrum in ſumendis educatoribus filiorum: agere eos hoc negotium ut plurimum temerè, delectum habendum nõ ſuſpicari, obvio cuiq; ſingularem hanc ꝓvinciam tradere, gratificari in re maxima amiculo, cui alioquin in re tenui vix faveant: qui deniq; ineptiſsimum & peſſimum quemq; minimo conducunt potiùs, quàm in probum & induſtrium hominem perexiguum ſumtum faciãt: ſubjiciam, quod ſæpè vidi fieri, quemad-

modum viliſsimo potiùs, modò pollice-
ri ſapientiæ montes impudenter auſit,
præmium decernant, quàm erudito &
modeſto & officii obſervanti viro mer-
cedulam conſtituant. Tu verò habes
illorum cura & conſilio, nec minùs di-
vino beneficio, cuſtodem induſtrium &
fidelem ſalutis tuę LUDOLPHUM FA-
BRICIUM. Is honeſto loco Lunæbur-
gi natus, in civitate tum polita tum trã-
quilla, nõ aliam ob cauſam, quàm quòd
bonis legibus eſt conſtituta, ad officium
in litteris in patria educatus, apud nos &
officium & litteras magna diligentia co-
luit, & optimo cuique eſt cariſsimus, nõ
minùs ob vitæ probitatem, & animi in-
tegritatem, quàm doctrinam bonam,
atq; omnis bonæ doctrinæ ſtudium, quo
ipſum flagrare comperimus. Hic in ſe
ſuſcepit ſibi honeſtum, & tibi ſalutare
munus tui educãdi: id verò nec ſimplex
& grave: grave dico, non difficile. Nec
enim ipſi luctandum fuit cum protervo
& petulante ingenio: cujusmodi, ſive
conſuetudine adulantium, ſive falſa de
rebus quidem bonis, ſed non omnium

primis

primis persuasione, esse, res docet, quos ab origine dignitas familiæ & opum amplitudo commendant. Non simplex autem: quòd non putabat, ut plerique parùm de alumnorũ salute solliciti, litteratoris sibi partes datas, sed sinceri educatoris. Qui talis autem est, cujusmodi pędagogos omnes esse oportebat, nullã officii partiũ negligit: quę sunt pręter informationẽ in litteris, sollicitudo de vita & animo & moribus alumni. Hoc nimirum volunt, qui alterius fidei liberos credunt: quod si minùs intelligant, aut non satis disertè dicant, prorsus omnia illa res ipsa flagitat. Non solùm enim litteræ, ut dicitur, absq; morib. nihili sunt: sed ne quidem in litteris (loquor enim non de inani umbra doctrinæ, sed & de studio sapientiæ) absque recta animi informatione & in bonis moribus constãtia, solidi quidquã paratur. Stratim quidem ille te in litteris erudiit: sed hoc egit omnium primum, ut quem ad modestiam simul & ad litteras, quàm ad qdvis aliud sive blandum sive splendidum, inclinare animadverteret, in utraque re

confirmaret: nec sineret te, neq; pravorum exemplorum multitudine, nec falsarum rationũ specie abduci. Nos istum ingenii tui moderatorem sedulò adjuvimus, & ille hoc omnino voluit. Hærent enim tibi in memoria & meæ & CORNELII MARTINII familiaris nostri collaudationes, cohortationes, & & eruditiones quotidianæ. Namq; & MARTINIUS non minorem capit voluptatem ex juventutis educatione recta, & salute, atq; ego: quo etiam nomine æquè uterq; invidiæ & calumniis barbariei expositi sumus, in qua placanda operam ego nunquam posui; ille hoc facit minùs, quantò & firmior & alacrior ætate, & me omnib. rebus ad illam belluam oppugnandam instructior. Nam insciti am scientiæ telis, sive ipsa veritate facilè conficit: imò naturâ palma veritatis est. Potest autem quid inimicitius hominum societati excogitari insciti â? quæ ex homine vel brutũ facit, vel mendaciorum & falsitatis satione furiam. Agnosce mihi porrò magistri tui fidem in te perpetuam. Vidi juvenes isto, quo ille

nunc

nunc est loco, vidisse malim saltem unũ atq; alterum potiùs, quàm plures: qui, quidquid fieret discipulis, suum negotium urgere, vel etiam cum illis, illorum fortunis, unà otiantes & genio indulgẽtes, perfrui. Tuus recta facit omnia, prsus sobriam vitam agens, & semper officii accepti memor. Ut enim omnes muneris sui partes expleret, quod studium sibi colendum sumserat, non paulò coluit remissiùs, & ipsius graviorem partẽ in aliud, idque tibi cõmodius tempus seposuit, initio sese dimittens, incommodo suo, tuo autem commodo singulari, ad ea quæ tuæ erant pueritiæ: ut deinde iret ad seria, quod ipsi erat commodius, quibus tu pœnè puer delectari videreris, ad quæ etiam hodie bono tuo adspirasti. Itaq; perfectum fuit brevi, ut ex illis salebris, sive rudimentis, necessariis illis quidem, sed injucundis & molestis, emersus, ea ante oculos videres, è quibus cùm certa esset spes utilitatis, tum aliqua tibi voluptatis adfulgeret species. Vide porrò, quantum sit in viæ monstratoris non solùm fide, sed etiam dexteri-

tate & consilio positum. Non ille te tã-
tùm progredi jubebat, sed tibi præibat,
qua ipse puer semita iter bono eventu
fecerat. Hîc te iterum felicem JACO-
BE, qui veluti scopulos Syrtésve præter-
vectus, ne quidem adspexeris novatorũ
nugas, promittentium pueris, idq; bre-
vi, quãtum est usquam sapientiæ & elo-
quentiæ, ac sibi præterea censoriam po-
testatem in omnes disciplinas arrogan-
tium. Tales Reipubl. litterariæ pestes
hodiè passim grassantur impunè. Dum
ipsi enim magnificis promissis rem quæ-
runt, & famam aucupantur, pereunt in-
genia, nisi maturè in viam rapiantur.
Aut enim nullo penitus profectu despe-
ratione debilitati, in æternũ valere Mu-
sas jubent, aut onusti opinione sapien-
tiæ, garrulitatis divitias passim impudẽ-
ter apud imperitos spargunt. Quod
malum quanto indigniùs fero, & rei lit-
terariæ, & juventutis, & Reipubl. gratia,
(nam in omnes idipsum denique redun-
dare necesse est) hoc magis & vobis gra-
tulor, q in nugacissimas ineptias nõ in-
cidistis, & aliis minùs infelicibus, qui se

tem-

tempori ex amplexu publicæ inſcitiæ abripuerint. Prorſus enim, quemadmodũ voluptas, ut Herculem in ſua caſtra, hoc eſt, in exitium pertraheret, vitæ beatæ perſonam ſibi ſumſerat; ita ignorantia habitum induit ſapientiæ, ut viam ſternat barbariæ, quam patrum noſtrorum memoria vix tandem ab oris noſtris exegerat, aut certè ejus vires non leviter deminuerat, trans Alpes renaſcẽs, apud nos primùm naſcens ſapientia. Rectè porrò facis, qui, quando jam ſermonem conferre cum priſcis Romanis potes, optimos ſcriptores quotidie legis, qui nobis maximè probantur: nec properas autem, ut quodque rectiùs conſideres: nec moram ducere velis, nec neceſſe habeas, cùm præſtò ſit, qui te expediat. Quid autem poſſis, audivi, cùm me interdũ audiente legeretis Cæſarem. Perges autem & in cæteris, & in hiſtoria: & ita perges, ut neceſſariorum nihil relinquas, uti hactenus nihil à te relictum fuit. Nam neq; temporum notitiam neglexiſti, & ipſa loca non ſolùm in cõſpectu habes, ſed etiam in memoria, cui ple-

raque impressisti quotidiana diligentia. Itaq;, quæ aliis atq; aliis sæculis fuêre gesta, tu ita mente spectas, ac si in conspectu tuo gerantur. Geographiam in manibus habes: nec ea negligis, quibus ad eam cognoscendam opus est. Itaq; positus & circumvolutiones siderũ discis. Hoc regum olim erat studium, & est hodie: quod & vos nobiles fortunatiq; adolescétes etiam potestis excolere: itéque perdiscere historiam, aliasq; liberales disciplinas, non minùs, quàm artem equestrem, cui vos natos perhibetis: neque sanè hoc falsò: neq; non tamen illud verè à me dicitur. Exposui vobis, quemadmodũ eadem decantarim principi FRIDERICO HULDERICO: quem impuberem adhuc in iis cum studio & voluptate, ac propterea cum fructu & laude esse videré, & mirarer, cùm etiam imperia orbis & monarchas ordine, nullo negotio memoriter referret. Itaq; hodie etiam exemplo ordine equestri esse potest, ut abdicato luxu & voluptatibus, quæ vulgi infausto judicio, vita beata, re ipsa extrema miseria est, litteras

teras & cumprimis hæc ſtudia, quæ nos, per cõſiderationem & horum terreſtrium & illorum cœleſtium, in aliquam cognitionem univerſi ducunt, & inflammant in admirationem, atq; adorationem opificis omniũ, quæ ſenſibus, quæque mente capere utcunq; poſſumus, ſi modò quid poſſumus: quod non exiſtimant, qui neq; oculis neq; auribus talia accipiunt, animo autem prorſus reſpuunt. Tua autem iſta ſtudia quis nõ probet? Tibi videndũ, ut in iis per ſeveres: quod mihi de te à principio polliceor. Nam qui benè cœpit, non facilè de ſtudio remittat: nec remittat, qui in ſpacio virtutis eſt. Virtus enim ad ſcientiam & invitat, & quodammodò cogit: uti vitia ad ignorantiam trahunt, & in alia atque alia, & profundiora, in exitium denique præcipitant. Et iſte dux tuus te conſilio reget, &, ſi qui inſidientur ætati tuæ, eos arte removebit. Multæ enim ſunt inſidiæ bonis, ſecundùm verbum vetus: idque à multis, quò malorum grex major, cùm parva, & vix aliqua manus bonorũ ſit. Nec præſcribo tibi, quibus ſtudiis propediem, aut ab aliquot annis incum-

bas: primùm quòd præcedentia plerun-
que invitant ordine sequẽtia, ut ipse per
te progressurus videare, quô debeas: &
quòd habes', q̃ hoc faciat, hac in re infe-
riorẽ nemini: sic intelligit ipse, ut quisq̃:
nec, q̃ tibi quoque tempore conveniat,
quisq̃ dispiciat rectiùs, atq; ille. Non pa-
tietur te ignorare, quæ poëta docuit, il-
le, inquã, poëta, quem cõmunem Græ-
ciæ magistrum ad virtutem non solùm
illæ gentes, sed viri quoque sanctimonia
clari, appellare non dubitarunt: doce-
bit te, quæ de vita & moribus, & de opti-
mo statu Reip. docuit Philosophorum
ille sol, cujus lucem vespertiliones, in-
scitiæ inquã, oculi ferre nequeunt. Sunt
enim vespertilionum simillimi, qui ne
quidem ad eruditiorum adolescentum
sermones prodire audent, docti ipsi sua
opinione & diserti, nec tamẽ nisi ad pu-
eros & imperitos de medio vulgo: con-
ferre gradum cum sui dissimilibus nec
velint, nec queant. Non impero tibi,
quod nõ parvi laboris est, sed opto Græ-
cas litteras: sine quib. permulta fugiunt
cæteros, quamvis ingeniosos, quamvis

ſedulos. Hoc quoque WERNERUS pater tuus vidiſſe videri poteſt. Ipſe mihi narraſti, quæ præcepta tibi dederit, nec tu ea unquam ex animo tuo delebis: ut ſe prima ætate neglectum oſtenderit, cùm tamen in litteris eſſe & juberetur & diceretur: ut præter Latinum ſermonẽ etiam ſibi Græcum optarit: quã vocem ſi pro mandato paterno accipias, non erres, arbitror: qui ſi in vivis hodie ſit, tũ laudet, quæ hactenus agis omnia, tum tibi hoc præcipiat bonum, idque abs te, non imperio ſuo, ſed verbo impetret. Qui enim aliis hodiè libenter auſcultas, ad ejus nutum te ſtatim componas ſedulò. Non eſſe rem nullius negotii diſſimulandum nõ cenſeo: ſuperari ea difficultas ab ingenio, ætate, diligentia facilè queat. Narrare ſoleo æqualibus tuis, ut idipſum juvenes, etiam tùm, qua de cauſa tentarint, quamq; conatus hic, inſtituum pertinaciter perſequẽtibus, feliciter ceſſerit. Exemplum eſt, nec à peregrina gente, nec ex priſco ſæculo petitum, quod à te quoq; ex me auditũ puto. Anni ſunt tres & quadraginta,

quan-

quando motu in academia Bononiensi cõcitato, factiosi nec esse nec videri vellent ex Germania adolescentes pernobiles. Visum fuit tribus æqualibus, GOTISLOBO ROTERMUNDIO, DANIELI SCHULENBURGIO, & OTHONI HOEMIO (ibi enim simul juri civili operam dabant) conscenso Appennino trãsire in Hetruriam, donec illæ turbæ defervescerent: ubi venêre Florentiam, quæ Italicarum urbium pulcerrima haberetur, subsistendum sibi eo loco putarunt, ubi omnia tranquilla, cõstituto ibi ante annos triginta novo imperio, quod tum Cosmus Medices mira sapientia feliciter administrabat. Non solùm putabant sibi ędificia sive privata sive publica spectanda, quorum pulcritudinem & magnificentiam nõ sine causa mirantur hospites: sed magis animũ adjiciebant ad cõsiderationem politiæ, qui verior peregrinationis fructus est. Secũdum erat ipsis, ut ingenio & doctrina pstantes viros cognoscerent, quorum ibi tum princeps erat Senex PETRUS VICTORIUS, cui viri docti passim gentium

um assurgerent. Jam enim editis ingenii monumentis & perpetua modestia invidiam superârat: nec minùs sibi vitę integritate, quàm doctrinæ præstantia & copia famam comparârat. Apprimè favebat Germanis VICTORIUS, quod illi ex homine doctissimo BARTOLO RICHIÒ cognoverant: aditus ad eum erat juvenibus doctis hoc facilior, quòd quotidiè domi doceret, quamquam vir & ex prima nobilitate & jampridem senator. Interpretabatur autem, nescio, quos principis Philosophorum libros oratione luculenta & copiosa, ut auditorem facilè alliceret, in cujus etiam animo aculeos relinqueret. Ea quamvis vetera, tamquam nova, audiebant, quæ cum suo instituto, quòd ad Rempublicã contenderẽt, non accommodata solùm, sed & necessaria sibi esse ex iis, de quibus inter sese multum & sedulò conferebant rationibus, statuerent; operam non extraordinariam aliquam, sed seriã huic eximio viro dare constituerunt: id quod ipsis non infructuosum fuit. Cùm autem eos peregrinitas Græci sermonis non-

nonnihil retardaret: cœperunt ipsi huic studio, quãtum satis esset temporis, impendere. Itaq; paucis mensibus tantum profecerunt, ut & Philosophum & Poëtam tum quotidie in manibus haberent: in quorum tamen scriptis permagna est diversitas: cùm hic à vulgi dictione longissimè abeat, ille res abditissimas disertè explicet. Itaq; eos cognovimus postea viros magnos. Namq; à consiliis fuerunt, quandiu hujus mortalis vitæ usura fruerentur, ROTERMUNDIUS Duci Megapolitano JOANNI ALBERTO, & Duci Pomeraniæ BOGISLAO: SCHULEBURGIUS proprimati Germaniæ, Marchioni JOACHIMO FRIDERICO, qui hodie est Septemvir imperii: HOEMIUS Ducibus Brunsvigensibus HENRICO & JULIO à consiliis fuit, & est hodie Duci nostro HENRICO-JULIO. HOEMIUM autẽ qui novit, eum à Gratiis enutritum, à Musis educatum dixerit: ipsi ego supra alias felicitates firmiorem valetudinem precor: verùm si morbi senibus parcant, nobis tamen ipsa gravis ætas morbi satis sit. Narro tibi exemplum

emplum propius, ac ni fallor, antè cognitum. Obſervabam olim juvenis ſenem JOACHIMUM CRUSIUM, qui ex ordine equeſtri in Magepoli doctrina, ſcientia juris civilis, & uſu rerũ æquales facilè ſuperabat: fuit autem Ducib. patriæ à conſiliis plus-minus annis quinquaginta, omnibus etiam ordinibus ob humanitatem & merita in patriam car'. Quod huc pertinet, homo doctus filios quoq; ordine erudiendos viris doctis dedit. Eorum ADAMUS CRUSIUS, familiaris noſter, & notus tibi, admodum puer non minùs Græcas litteras, quàm latinas deguſtarat: verùm illis ante tempus, de cõſuetudine cæterorum relictis, ad diſciplinas negotiis deſtinatas ſe peradoleſcens totum retulit. Ad ipſa autẽ negotia poſtquam acceſſit, illas non ſolùm cœpit deſiderare, ſed ſeriò revocandas cenſuit, jamque lingua percepta ex monumentis ſapientiæ Græcorum non pœnitendos fructus percipit. Nam de cæteris hujus præſtantis viri dotibus hoc loco nihil dicam. Non igitur mirum, ſi AD. AMI induſtria in primariis

lega-

legationibus sapientissimus Dux noster utitur, uti paulò antè legationem ad regem Angliæ JACOBUM PRIMUM p̃clarè obiit: si item ei primas partes educationis primi natu filii demandavit. Quod ego magistri aulæ munus à primo senatorio proximè abesse, & illi pœnè par esse judico. Nam qui principem rectè ad imperandum educant, nõ minùs de futura Repub. benè merentur, quàm de præsenti, qui hujus temporis negotia expediunt. Habes exempla, quæ apud neminem non valeant: ea tu quoq; imiteris, si idem tibi videatur, quod illis rectè visum fuit, quod equidem velim: nec tamen, uti dixi, tibi quidquã præcipiendum censeo. Si quod onus spontè attollas, id feres faciliùs: si quod ejusmodi consilium capias, id ad exitum perduces feliciùs. Hoc igitur de Græcis litteris consilium sive sequeris, sive sequi non poteris (auguror enim te nihil malle) propterea tecum nolim cõtendere: alteras haud dubiè porrò excoles: neque secùs poteris, quando nullum diem absque lectione omittes, ubiubi locorũ sis,

quod-

cunq; agas. Nec illud facies ob sermonis faculratem, cui tamen profectò studebis: sed ut in tuum sapientiæ penum quotidie recondas aliquid, &, si fieri poteſt, vel quoniam non posse nõ fieri credibile est, quantum fieri queat, ejus tibi thesaurum colligas, unde depromas, quantum opus sit, in quos usus & tibi & aliis opus sit consilii. Nam quemadmodum loquimur, non ut loquamur, quæ foret inanis garrulitas, sed ut negotia administremus: ita nobis animi bona non coacervamus, ut recõdita ipsa possideamus, sed iis partim tacitè perfruamur, quæ est sapientia, partim in vitæ officiis utamur, quæ prudentia virtutum oculus, sive actionum nostrarum magistra & moderatrix. Licet sanè & de his disserere, quod ad eos præcipuè pertinere videtur, qui officii rationes investigant, & minores erudiunt: sed hoc parum esse ac nihil deniq; censendum est, nisi, ut dicta rectè cogitatis, ita rectè dictis facta respondeant. Mens ratione informat animum: animus confirmatus, quasiq; ad bonum pervicax prodit ad a-

gendum, neq; non ad dicendum sæpe-
numero, quando quæ ad rem faciunt,
præcipienda, aut consilia, quibus cæterę
actiones diriguntur, explicanda sunt:
quod tamen & ipsum actionis est. Neq;
tu te nunc nihil agere puta, quando ea
discis, quibus res magnas olim geras:
quin hæc ipsa res magna est, fundamen-
tum ædificii vivendi rectè jacere. In
hoc hactenus facis officium tuum. Sunt
enim mores tui elegãtes foris, & puri do-
mi. Nec amare, nec probare eos possu-
mus, qui elegantiã in vitæ consuetudine
negligunt. Videntur enim neq; de reli-
qua vitæ institutione cogitationẽ susci-
pere. Alteros autem etiam odimus, qui
comti foris habitu, moribus, sermone,
pectus purgatum non habent. Formo-
sius nihil est, nihil integritate sanctius.
Dabis tamen operam, ut cùm sincerus
ipse sis, te consilio adversùs fucatos pro-
bè munias. Integritatem porrò ruebe-
re: prudentiam tempore adsequêris.
Est & in te modestia, sive indoles mode-
stiæ, perfecta jam educatione ab usque
tua infantia. Nemo enim petulantiæ

signum

signum i te deprehendit. Hoc igitur de te sp ar x certior, nõ futurum, ut, qui l ɔlescentiæ motus actiores, te ex illa animi tranquillitate deturbent: sed tu eos compesces parvo negotio. Nec enim, de quorum insidiis antè dixi, ab iis tibi magnopere metuo. Aut enim te adoriri verebuntur, aut à te rejicientur. Cùm enim temperanter vitam instituas, minùs tuam consuetudinem expetent, qui ad fortunatos se plærunque applicant, ut alieno sumtu cupiditates expleant. Æquales autem tuos ita tractare noveris, ut se tibi caros esse sentiant: sed cariores omninò litteras & valetudinem tuam. Si qui propterea tibi succensebunt, non quidem hos abs te repelle, sed amicitia tamen tua eosdem indignos puta. Non te fugit enim, aliam esse interiorum bonorum inter se conjunctionem, aliam quandam popularem hominum inter se, vel necessariã, vel jucundam consuetudinem. Utraq; habetur amicitia, sed illa revera est. Leges autem epularum, sicut neque vestitus, hactenus non violas: sed de utraque re sta-

re ſtatim te rectè ſentire, tua intereſſe judico, ne abductus exemplis æqualium, aut etiam ætate majorum, initio facto conſuetudinem induas, quam deinceps repudiare arduum ſit, quæ non procul à luxu abſit, & luxum pariat deniq;. Accipere familiarem, hominis eſt: eleganter accipere, viri nobilis: nec tamen id quotidianum ſit. Qui quotidie in vino ſunt, eos fieri ꝑcorum Penelopes ſimiles, neceſſe eſt: quorum etiam nomen vulgus deteſtatur: ac ne Phæacum quidem mores æmulari eruditum juvenem oporteat. Qui enim totos dies hoc agũt, etiamſi nihil turpe admittant: officii tamen illi nullam partem colant, nedum aliquod ſingulare emolumentum ad ſocietatem hominum, veluti ſymbolam conferant. Quod qui negligat, in eo humanitatis parũ, pietatis eſſe nihil judicabimus: ac ne ſic quidẽ, etiamſi quotidie in mediis epulis victimas cædant. Elegantia cuivis viro felici ſatis eſt: neq; exterminemus ab omni tempore ſplendorem, cùm etiam ſuum locũ relinquamus magnificentiæ. Dives, qui elegan-

ter moderato ſumtu vivat, erit ſplendidior, quoties volet, magnificentior, poſtulante re magna, nunquam non liberalis, beneficus in plures: ne dicam de incommodis, in quæ incurrunt præter opinionem talium legum negligentes vel imperiti. Non rarò minuunt rem familiarem, contrahunt æs alienum: fieri autem nullo modo poteſt, ut in cultura ſapientiæ verſentur, ut p̃ſtò ſint neceſſariis & patriæ, & dextrè adminiſtrẽt rem ſive privatam ſive publicam. Eadem elegantia etiam viro opulento in veſtẽ ſufficit: critq; hæc ipſa elegans, à qua abſit pannoſitas, abſint ſordes, & ſordium ſocia vilitas, quarum hæc ex cujusq; conditione & fortunis rectè æſtimatur. Hujus regulæ obſervationis neminem pœnituerit. At hodie, etiam quibus fortè ſit in bonis ad quotidianum victũ, ſi ſit, vix inveniunt ſatis pretioſam materiam, novas veſtium formas excogitãt, vident ut nova arte, & magno elaborentur: adeoque vix aliquid in amictu eſt, quin exquiſitum eſſe oportere cenſeant: & inter ſe contendũt in re tàm frivola: quod

in regiis fieri ferendum videatur, ubi locus ſplendori legitimus creditur, ubi ſordet, quod non præ ſe ferat ſpeciem magnificentiæ: etſi reges ipſi & reginæ cum nobiliſſimo gynæceo plærunque hac in parte ſe modeſtiùs gerũt, ut neq; tamen negligant momenta magnificẽtiæ. Nec verò nos leges aulis rogamus: qui litteras ſeriò colunt, ad ejusmodi inanias animum non adjiciunt: neq; tamen non alii aliorum exemplis pertrahuntur. Qui huic rei incumbant, deliciis ſuis placere ſtudeãt. Hoc.n. amatorum eſt proprium, quorũ *pulchra in pedib. Sicyonia rident, & grandes viridi cum luce Smaragdi Auro includuntur, teritúrq; thalaſſina veſtis Adſiduè:* cætera ex poëta memineris. Verùm de his ſatis: quæ ipſe rides in aliis, nec unquam probabis. Noſti divitiarum uſus honeſtiores: ut ſubvenias egẽtibus, ut tenuitatẽ colentium litteras & virtutẽ ſubleves: & magnũ erit exemplũ beneficentię, ut olim operas à tuis ſecùs, quàm à mancipiis exigas; cogitans utut ſervili conditione ſint, homines eſſe, neque minùs te ipſis natũ, quàm ſint illi tibi.

tibi. Quæ aliquando ages, quam primũ tibi cõmodum erit, ea te nunc prę̃meditari & discere non dedecet: ne adultiore ætate in dominio tuo humanitatis leges vioies, quod fortunati, iidemq; potentes plæriq; faciunt. Falsò enim putant id sibi licere, q̃ scriptæ leges cuique permittant. Eruditum humanis & divinis litteris nosse oportet, nõ minùs nos humanitatis legibus, quas, nescio, quis sapientum leges legitimas nominat, teneri: & esse contumaciæ vindicem, quem nihil omnium fugit. Tu verò multa virtute te perficies, si in ea modestia, q̃ in te omnes perspexim⁹, & ego suspicio, perseverabis. Vix ulla virtutum est, quam ego vel in adolescente, vel in viro pluris faciam. Senem enim modestiæ expertem profligatissimum, sive non sanæ mentis esse dixerim. Quid autem pulcrius, quàm hominem præ se hominem natum neminẽ despicere? videre, quid in unoquoque sit boni, quantumvis abjecto & humili: ignoscere cuivis in non enormibus, sibi ne quidem in minimo: agnoscere sese, nec ignorare vitia,

quibus ipſe ſcatear, nec mendas, quas habeat in præcordiis. Ni verear, in hoc ipſo me à modeſtia deflectere videri poſſe, dicam de me, cui modeſtia, ut familiares ſentiunt, ſæpè fraudi fuerit: quod ut aliis videatur, ego neq; deinceps mei ero diſſimilis: nec fortè hac in re adverſus me, qui me oderit, teſtimonium auſit dicere. Me autem credere aliis, non animi abjectione, indicio ſit: quòd pro veris ſententiis, & conſervatione bonæ elegãtisq; doctrinæ facio & fero omnia, uti virum bonum & fortem decet. Veritati namq; me & patriæ natum ſentio. Ad patriæ autem bonum & ſalutem pertinet, bonas litteras magno ſtudio conſervari, barbariem retundi, & qui huic viam ſternunt, eos bonis rationibus etiam acriter refutari, ne molli oratione veritatem ſibi ſupplicem fieri ſuſpicentur. Hac de cauſa quas contumelias & injurias tuli, initio fortè graviter, hodie verò moderatiùs: nec malevoli facient, ut meas partes agam negligentiùs, verbóve videar inſolentior. Fecit autem tua modeſtia, in qua te confirmatum velim,

lim, ut meæ meminerim, quæ fortasse & aliis exemplo esse possit. Postremũ est, ut te valere jubeam, hoc est, ut singulari diligẽtia valetudinis tuæ rationem porrò habeas, uti factũ est abs te hactenus, coactu ferè nostro. Namq; adolescentes minuta incommoda contemnunt, quæ graves morbos irritare, & accelerare demum mortem, princeps Medicorũ adserit, nos usus rerum docuit. Absque Duncano, eximio Philosopho & Medico, fuisset, non quidem fortè morbo jaceres; sed tibi minus esset virium etiam in isto haud tenui corpore. Ut ejus similem, quocunque te vertas, tibi præstò habeas, vide. Bona valetudine in bonis fortunæ nihil puta præstabilius, sine qua neq; vita sit optabilis. Quin qui vivat æger, nõ vivere videatur, quòd viræ functiones difficulter obeat. Nec nihil ad valetudinem, corporisq; robur conferẽt præcepta illa omnia, quæ superiùs dedimus. Nam qui voluptatibus se mancipant, illis, inquam, impuris, in quibus se volutat vulgus, expugnata valetudine à morbis triumphati prædæ Plutoni ce-

dunt: temperantia morbos arcet, perpetua virtutis custos, solicita ad litteras & sapientiam invitatrix. Da igitur operam, ut valetudinem tuam corrobores, & vita hac mortali commodè atque diu perfruens, de multis mortalium benè merearis. Vale. Helmstad. ex Ac. Jul. XVI. Kalend. Octobr. cIↃ IↃc III.

THO-

THOMÆ MONICHO-
VIO S. D.

Joannes Caſelius.

QVòd, de quo negotio tecũ egi his diebus, in eo meum conſilium ſequi non dubitaſti; rectè omninò abs te factum, probè intelligis. Ego verò nihil aliud ſpectabam, niſi quod ſolum rectiſſimum eſſet, & ex uſu veſtro maximè. Rectum enim, nemini temerè, aut levicula de cauſa adverſari: rectius etiam cedere, ubi tibi injuriam eſſe factam, fierive ſuſpiceris: neq; tamen de inſigni loquor. Fallit autem ſæpe homines ſuſpicio, præſertim in ætate ferventiore, quam ratione domare difficile eſt. Vos auſcultare ſtatim rectè monentibus, nihil mirum, quibus educatio à pueris, eaq; in litteris ab humanitate nomen adeptis, obtigit. Ajebam tum, illud leve, uti erat: alterum eſſe præterea, quod ad te pertinere judicarem. Plurimum enim uniuscujusq; intereſt, ut rectè de genere vitæ conſtituat. Neq; verò hîc in dubium venit, verus illud ſapientis verbum: Optimum eſſe deligendum: neque ſecùs cenſeo ſtatuendum, niſi quid aliud obſtet. Poteſt autem quid illi mortalium eſſe præſtabilius ſtudio ſapientiæ? Quod quidam ſagacitate ingenii odo-

nii odorati, nihil aliud sibi agendum putarunt: alii nullis ferè adminiculis instructi, alii plærisq; vitæ ornamentis sive abjectis, sive neglectis. Verùm ea indoles cadit in paucos admodũ. Pancißimi enim pluribus saculis extitêre tales tantiq; viri, quorũ memoria ad nos pervenerit. Proximi sunt ab his, neq; exiguam laudem merentur, qui cùm à sapientia non abhorreant, unam ejus alterámve partem, cùm universam nequeant, amplectuntur: hi verò item pauci sunt, si ad reliquam mortalium multitudinem comparentur. Secundùm hos numero, cunctos litterarũ cultores, quoquo usq; progredi valeant. Singularem autem laudem & præcipuam gratiam merentur, qui filios & quosq; suæ fidei creditos in ludos litterarios mittunt, ubi animos excolant bonis moribus, & degustent principia omnis liberalis disciplinæ. Hac experientia facta de vitæ genere, sive ipsimet per se, sive de prudentum consilio, facilùs statuent & feliciùs, præsertim ea, qua tu hodie maturitate ætatis es. Tunc enim certiùs deprehenditur, quid natura jubeat: naturæ autem præceptis potißimùm stare oportet, ut ipsius Dei, cujus illa opus est: qui contrà nitatur, non solùm operam ludat, sed falsa ratione diversum secutus, noxam sibi paret. Quotquot estis fratres, pater vos pro sua prudentia in litteris educavit: non parcens sumptibus. Vestrùm vixêre domi meæ, uti scis, ante annos decem, VINCENTIUS & RUDIGERUS, uterq; miti ingenio:

cúmque

cúmque fecissent in litteris progressus, cujusmodi consuetudini vitæ satis esse existimantur, ille se ad aulam porrò & rem familiarem convertit: quem tamẽ subinde ad litteras respicere audio. RUDIGERUS *mitissimi animi juvenis, quem ultra Alpes, non ad Boream natum censeas, à Musis avelli non potuit, sed totum se consecravit studiis sapientiæ: sic tamen, ut cùm nec subtiliorem atque abditiorem partem, quæ tota in contemplatione consumitur, negligeret; alteram, quæ benè beatéq; vivendi in hominum cõsuetudine rationem promittit, sibi omni studio excolendam putaret. Itaque nihil omnium prætermisit, quæ illuc facere intelligeret: & omninò maluit partis alicujus patrimonii jacturam facere, quàm non dicam projicere, sed mensis pauculos tam nobile et regium studium intermittere. Neq; tantùm præter bonos scriptores tàm Græcos, quàm Latinos, historiam legit, & decreta sapientum cognovit: sed vidit, sive perspexit potiùs longinquarum gentium mores & disciplinam. Sed alius mihi erit ejus prædicandi locus: tibi tot annis minori exemplo & documento esse potest, adeóq; te bonis argumentis ducere, quò eas, & docere, quid agas. Quare & tecum & cum ipso delibera, nec ampliùs animo fluctua, sed statue alterutrum, ut vel ad militiam te totum cõvertas: vel prorsum & seriò colas hæc studia sapientiæ, ad quæ ego quoq; legum disciplinam refero. Nam inscitè & omnino indoctè faciunt, qui hnic illam*

subji-

ſubjiciunt, videntúrq; ignorare, quantam matri filia debeat. Nolim autem te hanc conſultationem in multos menſes differre, quæ tua ætas eſt: certi aliquid vel hodie à te determinari velim, ut rem ipſam aggrediaris, alienis relictis. Divinitus dictum puta a Græco poëta, affirmante, non repleturum horrea, neq; ἐτωσιεργὸν, (id eſt, qui iis occupatur, quæ ad rem nihil penitus, ſive perparum attinet) neq; procraſtinatorem. Cætera autem te minùs capiunt, primariis te delectari video. Aut igitur rem militarem, in qua natus es, cole, (eſt enim ea propria equeſtris ordinis) aut ſtudia doctrinæ, in quibus educatus: nec tergiverſare deinceps, ſive huc, ſive illuc te conferas. A caſtris autem Muſarum ego te nequaquam deterreo, nec hucusq; progreſſum deterrendũ cenſeam: ſed hue invitem potiùs: nec obſtare putem, quòd poſt prima litterarum tirocinia, Sarmatia te biennium tenuit & ampliùs: unde uno idiomate loquendi, cujus in Europa paſſim magnus uſus eſſe cenſetur, auctior rediiſti domum. Quòd ſi igitur hîc manere malis, habebis apud nos plures, qui te conſilio adjuvent & opera. Nec enim alii erga te ſumus futuri, quàm erga fratres tuos fuimus, eumq; præcipuè, qui in iisdem caſtris, ubicunq; terrarum eſſet, perſeverarit, & ex eo tempore aliquoties nos inviſit, ac te denique nobis ſuperiore æſtate diligenter coràm commendavit. Val. VI. Id. Jan. CIↃ IↃ C, IV.

Hæc ita leges, THOMA, ut à ſingu-

singulari benevolentia profecta. Nec enim velim putes, me pertæsum tuæ consuetudinis: sed te meæ etiam uti velim, quod facies magis, quàm hactenus abs te factum est, ubi aliquid certi constituris. Non enim nihil erit, quod ex me quæras, in quo tibi consulam: imò, ubi hoc te constituisse intelligam, obtrudam tibi præcepta mea, pluribus uti te jubebo, contrà quàm facere consuevi. Scio enim nihil me posse præstare fratri tuo gratius: quod tibi esse maximo ex usu, si forte hodie non videas, fuisse aliquo intervallo omnino intelliges. Iterum vale. prid. Id. Jan.

K Y P I E

ΣΩΣΟΝ ΗΜΑΣ, ΑΠΟΛΛΥΜΕΘΑ.

INtempesta nocte agitur per cærula ponti
Parva ratis: turbant ex omni parte procellæ:
Nec mihi, nec cuiquam, spes est super ulla salutis. (mnes,
Jamque adeò rapidus vortex simul hauserit o-
Ni nos Christe juves, nobisq; expergitus adsis:
Tu potes oceani sævos compescere fluctus:
Tu potes undisonos boreæ sedare furores,
Sive velis verbo, nutúve, vel indice dextræ.
Nos cõtrà devincta cohors tibi tot benefactis,
Ex animo vereq; sumus servire parati.

EIPH.

EIPHNH

JOAN. CASELII.

PAX DEUS EST: DEUS IPSA SALUS.

Qui vivere malunt
Nequiter, arbitrioq; ſuo, non legibus æquis,
Hos pater iratus funeſto Marte coërcet,
Qui populetur agros, & quoſvis enſe trucidet,
Mœnia qui ſubvertat, & exculta omnia fœdet,
Qui cultusq; ſacros abolens artésq; Minervæ,
Barbarie Scythica noſtrum quoq; compleat orbẽ.
Tum verò delubra dies noctésq; frequentant
Demiſſis animis cuncti, veniámq; precantur.
Ille bonus tandem fletu multísq; querelis
Flectitur, & læti firmat ſpem protinus otî,
Et deſperatæ reddit ſacra commoda pacis.
Sic pariter vigilant, Cæſar Regésq; Ducésque:
Hoc agit ex animo jamdudum Guelphius heros,
Juſtitiæ vindex, meritis & pectore præſtans.
Ergo bonis vitæ circumcircáq; fruemur:
Quisque modò officium rectè faciamus, & ulrò
Imperii ſeſe ſubmittant legibus omnes.
Leges dant populis pacem, rerúmq; potenti:
Et norunt leges îsdem ſervare ſalutem.

AN. cIↃ IↃ cVI. Non. Mart.

JOSE-

JOSEPHI SCALIG. JAMBI ALIQUOT GNOMICI.

I.

Lliberalis indigentē cùm videt, Occasionem, cur nihil det, aucupat.

Quis tu es? quid es mî? proximus sum egomet mihi.

Hoc non habebo, quod dabo. Indigentiam Contemnit alienam ille, qui suam timet.

II.

Amicus à te si quid expectat boni, Id omne debet expeti, non exprimi. Extorta neminem obligavit gratia. A non volente quod datur, non debeo.

III.

Non te vetamus omnium per artium Campos vagari, quatenus mentem tuam Ad clariora præparant, non occupant.

Una aucupanda sit tibi scientia
Vitæ magistra, veritatis regula,
Quæ fingit animos cultibus sapientiæ.
Qui nescit illam, perperam scit cæteras.

IIII.

Formido mortis morte pejor. non potes
Vitare mortem; sed potes contemnere.

V.

AMOR MONACHATUS.

SI laudem in animo statuis esse maximam,
Servire patriæ publicisq; commodis,
Sive in Senatu, sive in aula Principis
Te vita semper actuosa exercuit,
Domi beatum, glorioſum publicè:
Persona, primùm quam tibi imposiveris,
Ad ultimum usq; perferatur exitum.
Nec in recessu solitudinis feræ
Actus honestæ squallidis inertiæ
Damna tenebris. Cur relinquens te foris,
Te rursus alibi quæris? Hominum è cœtibus
Exire ineptum est, antequàm è vita exeas.

SUPER-

VI.

SUPERSTITIO.

Postquàm suborta criminum licentia
Labefecit almæ Veritatis mœnia,
Quæ numen ipsum condidit verbo suo:
Palàm imperatus & receptus legibus
Augustus error, sanctaq; ignorantia,
Defensa paulatim impudentiæ ausibus,
Usu tyranno nacta vim scientiæ,
Hominum supinas conscientias ligat
Vocum numellis, cassibus sophismatum,
Injuriosa deinde pietas in Deum:
Quem metuit horrens, & profanans quem colit.
Tum quæ imperitis sola velamenta sunt
Falsi vetustas, atq; culpæ autoritas,
Lenocinantur mentis ægræ somniis,
Et jam labante pariete inclinant magis,
Stultæ Suadæ splendidè fallax amor,
Vanis in animis qui cuniculos agit,
Ut veritatis subruat constantiam.
Tum fortuiti ficta majestas sacri,
Fraudi colorem castimoniæ illinunt.
Est semper aliquid, quod refert mendacii
In claritatem dubia stultorum fides.

VII.

DOCTUS IN AULA.

CUltor Camœnis debiti silentii,
Finxêre pectus cuî politum literæ.
Venisti in aulam literatus arbiter
Negotiosæ & inquietæ inertiæ.
O quale debes omnibus ludibrium
Asellus inter simias! Tú ne hîc, ubi
Unum è tot hominum plebe vix hominem
vides?
Ubi nil tui sit? nullus hîc locus tui est.

VIII.

Naturâ ab omni comparatum est tempore,
Laudare quemvis ut libenter diligas
Laudari ab illo velle te, quem diligas.

IX.

Amor obsequentum, & imperantis dignitas,
Regni potentis prima sunt munimina.
Severitate caritas amittitur;
Sed obsolescit comitate auctoritas.
Horum duorum, constet ut salus tibi,
Hoc temperamen est tenendum, ut ne velis
Nimis severus esse, nec comis nimis.
Hoc dignitatem est, hoc amorem perdere.

X.

Pars eſt futuri magna ſupplicii timor.
Mens curiosè credula in pœnas ſuas,
Senſum antevertens obviam id damno ſuo;
Malum imminente majus intentans ſibi:
Benè præparatus rebus adverſis homo,
Quicquid futurum, præſtolatur, excipit.

XI.

Hic nempe voti finis, ultra jugera
Fundi paterni ſummovere limitem.
Sic multa habendo, nil habes. nec intereſt,
Quàm maximum ſit, quod tibi eſt pauxillulum,
Qui ſic egendo poſſidere te putes.
Namque empturire, opinio indigentiæ eſt:
Et eſſe emacem, ſe fateri pauperem.
Fabullus amplis latifundiis Lycum,
Nummis Fabullum fœnerator Bracaræ,
Et hunc & illum piſculentis provocat
Stagnis Alauda. Quantum habes, omnis cupit
Habere; ſed tu non habes, quantum cupis.

XII.

Aſſuete pauper invidere diviti,
Cuî ſemper ejus ex bonis oculi dolent,

Contende captu cum tuo captum illius.
Habentiæ ejus tu æmulator; hic tuæ est
Securitatis: hic veretur perdere;
Tu vis habere. Cogita quantò minor
Habuisse nunquam sit dolor, quàm perdere.

XIII.

Non adficit me, si quid expressit rubor,
Nec, qui pudore, spontè, quod non vult, facit,
Sequi trahentem, cuî reniti te piget,
Non est voluntas, frontis est infirmitas.

XIIII.

Caput tenebris exerentes literas,
Quas longa curis excolit sensim dies:
Repentè dirus morris & Sophistices
Fugabit æstus, non reversuras statim.
Morbi ingruentis est medela segnior,
Quàm morbus: ævo crescit occulto nævus;
Puncto, sequacis ignis afflatu perit.
Vigore lento nostra crescunt corpora;
Statim labascunt. Tarda virtutum agmina
Citò opprimuntur; non revivisunt citò.

XV.

Ædilitatis expeditus ambitu,
In Consulatus fascibus votum impedis.
Omnem rel●gisti Idibus pecuniam.

Quæris

Quæris Calendis occupare fœnori.
Ab ictu amoris molle declinans latus,
Scorto impudico totus in plagam pates.
Crimen fugasti, victor ultrà nil times.
Instaurat ecce prælium Cupidinum
Æstus rebellans, & refectis viribus
In te imparatum signa cominus movet.
Non sat domatur. est triumphandum scelus.
Laus una subigi est; altera imponi jugum.
Te vitia vincent, tota si non vicerís.

XVI.

Qui gloriaris esse dominus civium,
Servire servis quomodo potes tuis?
Qui tot tyrannos, quot satellites habes.
Servire servis dicitur Princeps suis.
Quod agere per se debuit, per hos agens:
Per hos vicariè audiens, per hos loquens.
Auctoritatis servus immodicæ nota est
Auctoritatem non habentis Principis.

XVII.

Quæcunq; & artes moliuntur, & parit
Natura, Mors hæc vindicat. Stant, ut ruant:
Vivunt, ut obeant. Ultimo discrimini
Servatur orbis. Omnia in mundum ca-
dunt
Caturum, & ipsum non habentem quò cadat.

XVIII.

Omnis cupido laudis, omnis ambitus,
Pruritus animi est febrientis. Gloriæ
Contemptor animus major omni gloriâ est.

XIX.

Quis modus opum sit quæritis? primus modus
Quod est necesse: proximus, quod est satis.
Parum est avaro. quod sat est, non est parum.

XX.

Sophistici arcus irritum retunditur
Acumen in se replicatum. quum acriùs
Videtur agere, stringit, at non perforat.

XXI.

Qui dat libenter & statim, bis obligat.
Deliberator quod dat, hoc capit sibi:
Et qui moratur, est neganti proximus.

XXII.

Quascunq; in arca condit aggestas opes
Avarus, aliis abstulit; negat sibi:
Fraudavit alios, seque fraudat ultimum.

XXIII.

Si quæ benignè amicus in te fecerit,

Sic

Sic gratum eorum te geras interpretem,
Ut dignus aliis, ista dum accipis, fuas.

XXIIII.

Conviva fige potui primum modum.
Quod est necesse; proximum, quod est satis.
Nil sat bibaci est; sobrio nil est parum.

XXV.

Quæcunque luxus artifex superflua
Excogitavit esui atque indutui;
Quæ nauta avarus, prodigus vitæ suæ,
Procul petivit, longa per discrimina,
Vitæ parantur omnia, & vitam atterunt.

XXVI.

Morum malorum pestilentis spiritus
Sive adflat, aufert; sive stringit, inficit.
Ne fortè te ullis alliciat contagiis
Pruritus aliquis. namque si mores malos
Non oderimus, non amabimus bonos.

XXVII.

Commune patrum crimen indulgentia est,
Vultu paternæ caritatis se offerens.
Gnati nepotis non coërcere impetus,
Et in ruinam subministrare omnia,
Affabile odium est; & repens crudelitas.

XXVIII.

Opum redundans rivus, & superfluens
Licente luxu, moribus frugi nocet.
Duris egestas cogit in rebus bonos
Patrare famæ non decora priſtinæ.
Viri beati vita castigata sit,
Ut non egena, sic egenæ proxima.

XXIX.

Humana vita est alea, in qua vincere
Tàm fortuitum, quàm necesse perdere.

XXX.

Statim obligatur, qui facit digno benè.
Quicquid merenti das, mihi imputo, haud tibi.

XXXI.

Cui modis sis obligatus plurimis,
Illiberale est non referre gratiam.
Majora rursus merita cunctis laudibus
Deterere parco carmine, arrogantia est.

XXXII.

Stulta est cupido, quæ dies longos sitit,
Et plurimum ævi plurimas vitas putat.
Non sæpè vivere; at mori datum est semel.
Centum senectas mille seclis aggere,

Et mille vive Neſtoras; dementia eſt
Putare, multas poſſe vitas vivere,
Aut vivere ullam, præter hanc, quã perdimus;
Aut perdere ullam, præter hanc, quam vivimus.

XXXIII.

Marcore ſegnes atque omaſi ſarcina
Caſtigat artus regula & frugalitas.
Malè tuſſientis corticem corpuſculi
Dixta inaudax, vitiumq; conſcius
Victus tuetur. Vitæ inoffenſus tenor
Integra membra ducit ad calcem ultimam.
Si nil juventa ſtulta conſcivit ſibi,
Effœta membra cur ſenectæ traderet.
Quare laceſſis queſtibus cœlum tuis,
Quòd dubia & anceps fluctuat ſalus tibi?
Quum ſanitatis quisque ſit faber ſuæ.

XXXIIII.

Plures in urbe ſi boni ſint, quàm mali
Hominum, quibuſcum transigas ævum tuum,
Faſtidioſa debet eſſe electio.
Quòd ſi boni ſint rariores, quàm mali,
Fruſtra eliguntur. Pro optimo eſt, minùs malus.

XXXV.

Si cogere ullis intereſſe cœtibus,

Quos

Quos insolenti diffluentes otio
Vel rixa, vel vis calida commisit merò
Tumultuosos, vel jocosus garrulæ
Dicacitatis solvit in risum lepos:
Tantisper hæc dum detumescunt frivola,
Præcepta apud se refricans veterum memor,
In mente blandum quære secessum tua.
Potens sui mens, quæq; se nunquam fugit,
In plebe media dulce secretum invenit.

XXXVI.

Prudens futuri, & imminens periculis,
Momenta lubrica & volubiles vices
Fortunæ inanis pertinere ad se negat:
Et omne, quo Plebs semper amisso dolet,
Id commodatum credit, & precarium:
Suamque reddit rem reposcenti Deo,
Nil tergiversans. Qui potestatem sui
Non fecit ullis casibus, casus potest
Ridere turbò. Sunt enim discrimina
Animis ad omne præparatis irrita.
Securitati sæva quod fieri potest
Spera futurum. Nil repentinum ingruet,
Si, quicquid aliâs posse, nunc fieri putes.
Adversa rerum nil mali expectantibus
Novitate, quàm vi sæpiùs nocent sua.
Sese instruenti ad cuncta, si non omnia
Ut voluit, ast ut cogitavit, accidunt.

XXXVII.

Famæ beatus qui supervixit suæ,
Illisque meruit interesse laudibus
Quas vita non dat; funus ac cinis darent,
Bonis liceret, si liceret per malos,
Vivis negatâ gloriâ vivis frui.
Sed si bonorum judicia de me, mei
Tardavit ævi livor ac malignitas,
Meam loquentes gloriam nepotibus
Horum furorem non tacebunt posteri.

XXXVIII.

Oblatum honorem rejicis, considera,
Num fastus illud, rusticúsve sit pudor.
Aufer cavillum; comiter sic rejice,
Non quasi recusans præmium, sed differens.

XXXIX.

Tibi mali omnes invident; at non boni.
Et nemini omnes, omnibus nemo invidet.

XL.

Ne curiosus quære causas omnium,
Quæcunq; libris vis Prophetarum indidit
Afflata cœlo, plena veraci Deo;
Nec operta sacri supparo silentii

Irrumpere aude; sed pudenter præteri:
Nescire velle, quæ magister maximus
Docere non vult, erudita insscitia est.

XLI.

Princeps colendus hactenus sit, quatenus
Tibi licere & expedire scis ei.
Homo secundus à Deo, acceptum ferens
Deo, quod ipse est unico minor Deo.

XLII.

Fortasse cives pejùs angue Principem
Odisse possint, is licet non oderit.
At ipse amari non potest, si non amat.

XLIII.

Princeps tributis atq; functionibus
Regni tuetur publicas opes sui:
Bellum administrat, hosticas frangit minas.
Vectigal omne, & quicquid infertur, bonum
Commune cunctis; singulis injuria est. (est

XLIIII.

Bona institura non boni odi Principis,
Non quòd bona acta, sed quòd auctor displi-
cet.
Laudanda reges sæpè fecerunt mali:
Laudare regem non potes nisi bonum.

XLV.

Sit dux peritus ordines disponere:
Diurna castra muniis distinguere;
Nocturna vallo cingere & custodiâ:
Cui Fors sit anceps, certa Virtus, qui rapit
Occasiones, quique differt impetus.
Pedes sui sit factus ad jussus ducis.
Frequens adire signa; rarò excurrere,
Rarò experiri fortuita prælia:
Sed se sub ipsis continere sedibus.
Eques parare sic celer victoriam,
Vel tardus ita sit cedere, ut constantia
Cunctatio sit, & metus velocitas:
Præstent utriq; mutuas vices sibi;
Dux copiarum; copiæ decus Ducis.
Sed disciplinæ militaris gloria est,
Quando Duci plus fiditur, quàm copiis.

XLVI.

A plebe amari, non timeri rex stude.
Timor magister indfidelis obsequii est,
Et charitatis imbecillum vinculum.
Timor facessat. Principis mores boni
Possunt idem præstare, quod vis imperî.
Multum imperando, plus amando rex po-
test.

XLVII.

Est quem rogare veruit infirmus pudor:
Est quem rogare compulit necessitas.
Quid huîc, quid illi facere te munem addecet?
Explendus ille est; huîc eundum est obviam.
Vota hunc rubere; precibus illius fave.
In promerenda gratia primus gradus
Est, occupare vota; proximus sequi.

XLVIII.

Qui cernere æquo marte detrectaverat,
Ignaviáve, consciúsve virium,
Angusta rumpens factus est audentior.
Cuî per phalanges expedivit exitum
Irata virrus, hic tremendus maximè est,
Quum fecit animos arcta desperatio.
Ad moliendum maxima efficacior
Necessitatis norma, quàm virtutis est.

XLIX.

Periculosa est omnis excedens modum
Apud Tyrannum par tyranno gratia.
Terret sequaces aulicorum spes canum
Formidolosus. Capreati carceri
Sciamus olim plebi adoratum caput.
Ascendere alta est arduum, unde postea

Coga-

Cogaris antè cadere quàm descendere.

L.

Rex, cuî relicta vidua, cuî suas preces
Pupillus offert, vita adulantem canem.
Ferox in omnes, cicur ast uni tibi.
Cuî pro maligno est Parcè adulans: hostis
est,
Qui vera loquitur, jus ad omne is surdus est.
Et blandientium, non suas aures habet.

L I.

Quàm turpe fieri spoliar aulam civium!
Si quantum in usus publicos est conditum,
In aulicorum volturum voragines
Famemque inexpletam omne fusum exhau-
rias.
Larga est in omnes liberalitas Dei:
Cœlo pluente, jugerum vicinia
Rigatur omnis, haud seges tantùm mea.
Avara in omnes, inque paucos commoda,
Sinistra regia liberalitas, opes
Si pluit in homines, non in humanum genus.

L I I.

Quicquid benignè fecimus, perit; nisi id
Bonum admonentes, exprimentes à malo
Recipimus. aurem grata non rarò sibi

Velli voluntas patitur. à malo exige
Plus quàm satis sit, ut feras, quantum sat est.

LIII.

Quò te ambulando cunque vertis gentium,
Vitare non est disputatorum genus;
Pugnax, protervum, fastuosum, garrulum,
Quos pacis hostes ultima hæc ætas tulit,
Qui nocte lucem, nigra verrunt candidis:
Et quæstionum tristitate condiunt
Natas in usum veritatis literas.
Hos nec decorum est, nec tutum refellere.
Tali hoste victo, quis triumphus te manet?
Luctante eodem pugna gliscit acrior,
Nec dignitatem fronte ferrea pudor
Expressus auget; claritatem nec dabit
Extorta rixis veritas. In jurgiis
Vicisse nolle, cùm queas, victoria est.

LIV.

Nos sciscitari, cur Catoni non datum,
Quàm cur Catoni sit datum, mavult Cato,
Sciscens ab omni parte virturis nuntium
Virtutis esse præmium, omne temnere
Paratus ultrò si offeratur. maximum est
Ambire nolle, quam mereri sufficit:
Accipere nolle quàm mereri, majus est.

Site

L V.

Si te Tyrannus falsa adegerit loqui,
Nihil indecorum nec bono fac, nec viro.
Servilium si verberum intentat minas,
Si triste letum, gratulare tu tibi,
Quòd te experiri dira per discrimina,
Quanti æstimares veritatem, contigit.
Constare parvo tanta res non debuit.
Pœnarum acerba ridet audax, omnia
Pro veritate qui timet, pro se nihil.

ET HACTENUS JAM-

BI SCALIGERI.

JAMBIC. R.

Libello philico Nob. Juvenis JACOBI SCHENGKII in Flechtingen/ inscripti, cùm Alrorfio discederet.

MEó ne Schengkio meam negẽ manum,
Cuî nil negavit optimus Caselius,
Formator ille & æstimator ingenî
Nati ad decus virtutis & scientiæ?
Plus dico: cuî nil summus omnium arbiter
Rerum negavit, mentis atq; corporis
Perfectioni conferat quod ultimæ;
Ut nunc bona externa obruam silentio,
Genusq; clarum, & inclitã prosapiam,
Quæ lumen illi dat vicissim & accipit,
Bonis studenti propriis emergere,
Quàm tantùm alieno lumine splendescere.
Manum ergo Schengkio meo meam negem?

Negém-

Negémne versus? Schengkius quos tã-
tum amat,
Quantum sititor deditus quis poculis,
Amator aut quis ardet alius pupulas.
Cupita Schengkio negare me nefas,
Tàm honesta præsertim, æquitatis ple-
náque.
Sed plura dum ac meliora scribere haud
sinunt,
Quæ mentem aliorsum distrahunt, ne-
gotia,
Vel ista pauca extemporanea auferat,
Ex pectore intimo attamen manantia.
IN REBUS HUMANIS QUOTIES SPES
INRITA EST,
UT SÆPE DECOLLARE, FALLERE
ADSOLET,
PENDERE OPORTET FIRMITER A
DIVINA OPE.
HÆC NEMINEM FEFELLIT UNQUAM
LUBRICA.

IN EANDEM SENTENTIAM.

Omnis in humanis cùm ſpes eſt inrita rebus,
A ſolo pendet numine firma Dei.

ALITER.

Omnis in externis cùm ſpes eſt perdita rebus,
Vnâ in cœleſti ſalva ea reſtat ope.

Α᾽ΛΛΩΣ.

Ἐλπὶς ἐν ἀνδρομέοις ὅτ᾽ ὄλωλε πρήγμασι πᾶσι,
Συμμαχίας θείας ἐγχρέμαται φαθερά.

ΚΑΙ᾽ Α᾽ΛΛΩΣ.

Πρήγμασιν ἐλπωρὴ βροτέοις ὅτε οἴχεθ᾽ ἅπασα,
Κεῖται ὅμως μονίμη ἔν γε θεῦ παλάμη.

C. R.

FINIS.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Caselius, Johannes, / Caselius, Johannes, / Scaliger, Joseph Juste,

Joan. Casellii Ad generosum adolescentem Jacobum Schenck in Flechtingen Parainesis Accesserunt huic iteratae editioni loco auctarii, eiusdem Caselii Eirēnē et v. illustr. Josephi Scaligeri Iambi aliquot gnomici, numquam antehac editi

Amberga 1606

Epist. 859#Beibd.2
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10176102-4
VD17 23:273087C